

etiamsi majoris meriti sit. Quia vero aureola martyrii non respondet actui interno martyrii, quantumvis perfecto, si non jungatur exteriori, ut D. Thomas docet et communiter creditur, ideo de illa corona, et si qua est alia similis, dicendum est non dari præcise ut præmium meritorum, sed ut specialis prærogativa ex Dei voluntate concessa pro tali opere, non solum ut meritorium est, sed etiam ut exterius morte, vel saltem per lethalia vulnera consummatum est. Quod autem addebatur tertio loco, quod præmium essentialiter respondet charitati, accidentale bonitati operis, quam habet ex objecto creato, sano modo intelligendum est solum per quamdam accommodationem; nam simpliciter verum est actus etiam virtutum moralium ex gratia factos mereri augmentum essentialis gloriæ. Et e contrario actus charitatis non solum essentialiter, sed etiam accidentalem gloriam sibi proportionatam meretur. Ex illa ergo sententia nihil contra præsentem doctrinam colligi potest, quia, licet demum eidem actui accommodari gloriam essentialiter et accidentalem secundum diversas rationes, sicut illæ rationes connexionem habent in eodem actu, ita gloria accidentaliter et essentialiter inter se habere poterunt. Ad ultimum jam dictum est bona opera moralia, si supernaturali modo fiant, essentialiter gloriam primario, et secundario aliquam accidentalem mereri; si vero opus sit mere naturale, neutrum proprie mereri.

## CAPUT XXX.

AN DEUS EX VERA, PROPRIA ET SPECIALI JUSTITIA PRÆMIUM MERITIS SANCTORUM DE CONDIGNO RETRIBUAT, ITA QUOD ESSET INJUSTUS SI ILLA NON RETRIBUERET?

1. *Ratio tractandæ questionis.* — De hoc puncto et de justitia Dei in retribuendo meritis præmio disputavi in tom. 1 tertiæ part., disput. 4, et postea in speciali opusculo, ideoque posset hoc loco prætermitti, quia nihil fere alicujus momenti addendum occurrat. Tamen propter hujus materiæ complementum, visum est brevi compendio et majori claritate ac resolutione nostram sententiam iterum proponere, obiterque novis opinionibus ac objectionibus, quæ nunquam non succrescunt, satisfacimus, magna tamen moderatione et brevitate, quia nec apologiam scribere, nec contentiose agere, sed ve-

ritatem illustrare, quantum assequi possumus, intendimus. Et quoniam in citatis locis, auctores de hac materia tractantes, et eorum opiniones satis retulimus, statim quam credimus veram sententiam esse proponemus.

2. *Notatio pro illius decisione.* — Primum vero omnium, ut punctum quæstionis aperiamus, supponimus, licet attributa Dei in re una perfectio simplicissima realiter ac formaliter sint, nihilominus ita a nobis distinguere ratione cum fundamento in re, ut non omnia opera Dei ad extra, quæ a virtutibus in eo formaliter existentibus, et ratione distinctis proveniunt, ab omnibus illis secundum omnem rationem procedant, sed quædam dicuntur esse opera justitiæ, alia misericordiæ, alia fidelitatis, ut docuit D. Thomas, in 4, distinct. 6, quæst. unica, artic. 3. Et quamvis idem opus pluribus attributis attribui, et ab eis procedere possit, semper tamen sub diversis rationibus consideratur, ut, verbi gratia, opus creationis omnipotentis et misericordiæ opus est; sed illius quatenus est physica productio ex nihilo, hujus vero in quantum est actio moraliter bona, ex voluntate sublevandi miseriam proveniens. Cum ergo reddere præmium meritis sit et opus physicum (ut sic dicam), quia est realis productio talis rei quæ in præmium datur, et sit bonum opus morale recte rationi consentaneum, in præsentem non priori ratione consideratur, sic enim clarum est esse insigne opus omnipotentis Dei, et consequenter etiam sapientiæ dirigentis, et voluntatis potentiam applicantis, ut nostro more loquamur. Consideratur ergo posteriori modo, et præcise inquiritur a quo attributo seu virtute morali Dei formaliter et quasi per se primo procedat.

3. *Assertio prima certa.* — *Probatum primo ex Scriptura.* — Bellarminus in libr. 4 de Justific., cap. 4, 20 et 22; Valentia, disp. 8, quæst. 2, punct. 2. — *Secundo, ex Conciliis.* — *Tertio, ex Patribus.* — *Quarto, ex ratione.* — Dicimus itaque primo præmium reddere meritis justorum de condigno, esse opus divinæ justitiæ. De hac conclusione sub his terminis non credo esse, nec posse esse controversiam, quia Scriptura passim ita loquitur de præmio et merito justorum, ut supra cap. 1 et 18 notavi. Et patet ex illo 2 ad Tim. 4: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus, justus judex;* non enim potuit Paulus vel pluribus vel formalioribus verbis docere et explicare ad quam virtutem divi-

nam retribuere præmia meritis pertineat; nam quia est quasi objectum seu effectus justitiæ, vocat illam coronam justitiæ, et quia est actus justitiæ, dicit esse a Deo, quatenus justus judex; hanc enim vim habet illa determinatio, alias æque dicere posset, quam reddet mihi Deus misericors Pater, vel omnipotens Dominus. Ad idem ponderari possunt verba Matth. 20: *Voca operarios, et redde illis mercedem,* nam in omnibus illis vocibus, *operarios, redde mercedem,* inculcatur justitia; et similia sunt illa Pauli, 1 Corinth. 3: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem,* ut omittam alia quæ de verbis retribuendi et remunerandi, et secundum opera judicandi in dicto cap. 1 ponderavi. Secundo, eodem modo expendi possunt Conciliorum verba, quorum virtute Scripturam explicarunt. Hujusmodi sunt illa Concilii Arausicani, can. 18: *Debetur merces bonis operibus, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Ubi verbum ebendi, et mercedis, justitiam indicat, et ideo merces a gratia distinguitur. Et latius Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 16, vitam æternam ait proponendam esse justis, et tanquam gratiam, et tanquam mercedem: *Hæc est enim (ait) corona justitiæ, quam aiebat Apostolus a justo iudice esse reddendam, non solum sibi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus.* Et similia habet Concilium Senonens. in Decret. fid., cap. 16. Tertio, eodem modo loquuntur Sancti, præsertim Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 4, 5 et 6, et Epist. 103, et lib. de Perfect. justit., respons. 17, et lib. de Morib. Eccles., cap. 25: *Vita (inquit) æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere merita, et prius homini dari, quam justus est. Quid enim est hoc injustius et quid justius Deo?* Ubi aperte sentit præmium vitæ æternæ ex justitia dari. Et tract. 3 in Joan., ubi ponderans verba Pauli de corona justitiæ a Deo reddenda, inquit: *Jam debitum flagitat, jam debitum exigit, nam vide sequentia: Quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex.* Et Cyprianus, Epistol. 56, in fine, alias lib. 4, Epistol. 6, ad Deum ut justum judicem pertinere ait, *mercedem fidei et devotionis exsolvere.* Et Hieronymus, Isai. 49, ait concessisse nobis Deum liberum arbitrium; *ut juste voluntas præmium consequatur.* Et Chrysostomus, tom. 2, homil. 4 de Lazaro, circa medium: *Si justus est Deus (ait), et his et illis reddet pro meritis,* et alia inferius afferemus.

Quarto, est hic communis modus loquendi Scholasticorum, nam D. Thomas 1. 2, q. 21, artic. 3, de merito generatim loquens, dixit ordinem dicere ad retributionem, quæ fit secundum justitiam, et artic. 4 addit tale esse meritum hominis apud Deum, et quæst. 114, art. 1, mercedem reddi merito quasi quoddam pretium ipsius, et sicut reddere pretium debitum pro re accepta est actus justitiæ, ita etiam reddere præmium pro merito. Et idem habent Conradus, Cajetanus et alii in eisdem locis, itemque Cajetanus tom. 3 Opusc., tract. 11 de Fide et operibus, cap. 6. Et communiter Scholastici in 2, distinct. 27, ubi Bonaventura, artic. 2 fere toto; Durandus, quæst. 2; Gabriel, artic. 1; Ægidius, quæst. 2, art. 3; Argentin., quæst. unic., art. 4; Richardus, art. 2, quæst. 3, et in 4, distinct. 46, art. 1, quæst. 1, ubi etiam Scotus, quæst. 1, et in 1, distinct. 17, quæst. 2, § *Sed tunc*; Soto, lib. 3 de Natur. et Grat., cap. 7; Vega, lib. 8 in Trident., cap. 10; Hosius, in Confess., cap. 73; Ruardus, artic. 10, § *Tertia difficultas*; Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 4, 14 et 16. Ultimo, potest hæc assertio ratione demonstrari, sed explicatur melius ex sequentibus assertionibus.

4. *Assertio secunda.* — *Conglobatio dictorum.* — Secundo ergo dicendum est retributionem meritorum in Deo non esse actum justitiæ universaliter dictæ, sed alicujus particularis justitiæ ab aliis attributis ratione distinctæ. Hæc etiam assertio certa et clara est, si termini intelligantur. Est ergo supponendum ex Aristotele, 5 Ethic., cap. 1, et divo Thoma, 2. 2, quæst. 58, artic. 6, justitiæ nomen interdum sumi in generali quadam significatione, tribuiturque omni virtuti, quatenus omnis virtus aliquam æqualitatem servat, et hoc modo justitia idem est quod virtus, unde est veluti genus ad omnes virtutes. Hæc autem acceptio justitiæ valde impropria est, ac proinde præsentem instituto non servit. Proprie igitur justitia significat speciale genus virtutis ab aliis distinctum, cujus munus est jus seu debitum suum alteri reddere. Justitia autem etiam hoc modo sumpta non est infima species, sed genus, et non unum tantum, sed multiplex, seu æquivocum, ideoque est ulterius advertendum, virtutem moralem appetitus generatim distinguere in virtutem, quæ circa seipsum, id est, circa subjectum proprium versatur, et virtutem, quæ ad alterum ordinatur, seu quæ circa passiones vel operationes versatur, ut constat ex D. Tho-



ma 1. 2, quæst. 59, art. 4, et q. 60, art. 3. Virtutes ad se, seu circa passiones, sunt temperantia et fortitudo, virtus vero ad alterum, quæ ei debitum reddit, appellatur justitia, prout in generali divisione virtutum Cardinalium a temperantia et fortitudine distinguitur, ut in tom. 1 de Relig., lib. 3, cap. 4, notavi. Hinc alia divisio justitiæ oritur, nam interdum sumitur prout communis est omni virtuti, quæ alteri reddit quæcumque debiti rationem, aliquando vero specialiter dicitur prout attendit perfectam rationem debiti, quod secundum æquivalentiam potest restitui. Distinctio et verba sunt D. Thomæ 1. 2, quæst. 60, artic. 3, ad 1; et quæst. 61, art. 3, dicit priorem acceptionem justitiæ esse usitatam a sacris Doctoribus, posteriorem vero esse jam usu receptam. Unde sub priori justitia est genus ad omnes virtutes, quæ alteri debitum reddunt, et sic gratitudo, religio, etc., erunt species seu partes subjectivæ illius. Sumpta vero justitia posteriori modo specialiori, aliæ quæ aliquo modo deficiunt ab æqualitate, vel perfectione debiti aut habitudinis ad alterum, solent vocari partes potentiales justitiæ, ut patet ex D. Thoma, 2. 2, quæst. 80. Ulterius vero scire oportet etiam hanc justitiam specialiolem non esse speciem ultimam, sed genus proximum seu ultimum (ut sic dicam), quod sub se tres species justitiæ continet, scilicet, commutativam, distributivam et legalem, quæ quidem sunt particulares species respectu sui generis, tam proximi quam remoti. Inter eas vero etiam justitia legalis solet generalis justitia vocari, non in prædicando, seu per modum generis, sed in causando, seu per modum superioris virtutis imperantis, ut dixit divus Thomas 2. 2, quæst. 58, artic. 5 et 6. Vocatur enim legalis justitia quædam virtus, quæ jus communitatis et bonum illius commune observat ac reddit, et ad hunc finem uti potest omnibus virtutibus, imperando et ordinando actus earum ad suum finem, et ideo generalis vel universalis justitia dicitur, licet in se, ut dixi, specialis virtus sit. Quocirca, ut nominis æquivocatio tollatur, quatuor modis dicitur generalis justitia: primo, universalissime et quasi metaphorice pro omni virtute; secundo, generaliter ac proprie, prout est genus ad omnes virtutes ad alterum; tertio, generice, id est, ut species subalternæ hujus generis, et genus proximum ad tres proprias species justitiæ; quarto, prout est quædam species ultima justitiæ, quæ universalitatem habet in

objecto et causalitate, et dicitur etiam justitia legalis. Unde e contrario justitia specialis dici potest, vel respective qualibet minus generalis respectu superioris, vel absolute de tribus ultimis speciebus numeratis, vel inter eas distributiva, et commutativa solet specialis justitia vocari; et ita in sequentibus loquimur, et nonnullam majorem notitiam illius trademus.

5. *Posita assertio de justitia particulari procedit.* — In assertione igitur posita de justitia particulari loquimur, ut ab universali primo modo distinguitur, abstrahendo nunc ab ultima specie ejus, de qua paulo post dicemus. Et sic assertio est clara, quia justitia universalis dicto modo sumpta omnes virtutes morales, quæ in Deo formaliter inveniri possunt, complectitur, ut sunt misericordia, liberalitas, et similes. At vero ita dicitur retribuere præmia meritis per justitiam, ut non retribuatur per misericordiam vel liberalitatem, aut aliam virtutem similem. Ergo retributio illa non universali justitiæ dicto modo sumptæ, sed alicui speciali tribuitur. Confirmatur, quia Patres et Doctores supra citati, imo et Scripturæ, æque dicunt Deum retribuere præmia meritis ex justitia, et dignas peccatis pœnas reddere; sed justitia, per quam Deus punit malos, non est universalis in dicto sensu, sed est aliqua particularis, quæ vindicativa dicitur, et a misericordia, liberalitate, et similibus attributis distinguitur; ergo, servata proportione et materiæ capacitate, retributio meritorum ab aliqua justitia particulari dimanat, sive illa unica tantum sit, sive multiplex, quod postea videbimus. Tandem ex objecto et materia talis actus est id manifestum; nam hæc actio retribuendi meritum, et est ad alterum, et respicit aliquod jus alterius, et æquitatem quamdam illi servat; hoc autem munus particulare est, et ad omnes virtutes non pertinet; ergo est alicujus particularis justitiæ.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — Dicit fortasse aliquis hanc retributionem etiam tribui misericordię, juxta illud: *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*, et juxta communem doctrinam Theologorum, dicentium in omnibus operibus Dei, etiam in glorificatione honorum, et ultimo supplicio malorum, Deum et misericordiam et justitiam exercere; quod si misericordiam exercet, etiam liberalitas, et aliæ virtutes similes in illo actu influxum aliquem habere possunt; ergo recte dicitur esse ab universali justitia, cum om-

nes virtutes ad illum concurrant. Responderi unico verbo potest, actum præmiandi substantialiter (ut sic dicam) esse a justitia, non vero a misericordia, quamvis non sit sine aliquo usu vel affectu misericordię, et ideo simpliciter dicitur esse a justitia particulari, ut a misericordia et similibus virtutibus distinguitur. Hoc declarabitur amplius capite sequenti, explicando axioma Theologorum, quod DEUS reddit præmium ultra condignum, et ideo in illo actu justitiæ misericordiam miscet, quia, eo quod condignum præmium reddit, justitia utitur; in eo vero quod ultra condignum tribuit, misericordia vel liberalitate utitur, in quocumque tandem sensu id intelligatur, quod infra videbimus. At vero hic excessus accidentarius est æquitati justitiæ; imo formaliter loquendo, non pertinet ad solutionem seu retributionem meritorum, et ideo dicendum retributionem substantialiter esse a justitia, quam misericordia comitatur et exaltat. Sicut punitio malorum, ut talis est, a justitia est; quatenus vero est citra condignum, a misericordia est; ut sic vero potius est remissio quam punitio.

7. *De quamam particulari procedat?* — *Opinio prima bipartita, quod non a justitia subjectiva, sed potentiali.* — Jam vero punctum controversiæ est, a qua justitia particulari ex tribus supra numeratis hæc actio dimanet. In quo puncto est quædam opinio dicens a nulla ex illis virtutibus justitiæ formaliter seu essentialiter sumptis procedere hunc actum, sed ab aliqua virtute annexa alicui ex dictis justitiis tanquam parte ejus, ex his, quæ potentiales a Theologis dicuntur. Quamvis enim tantum illæ tres justitiæ supra numeratæ propriam et essentialem rationem justitiæ habeant, nihilominus ad illam reducantur quædam aliæ virtutes, quæ in reddendo alteri debito illam imitantur, licet integram ejus rationem non assequantur, ut censentur esse religio, pietas, observatio, gratitudo, et similes, et ideo partes potentiales justitiæ vocantur; et interdum nomine justitiæ comprehenduntur omnes virtutes morales voluntatis, quæ sub fortitudine et temperantia nullo modo continentur. Hoc ergo intellecto, dicit hæc opinio Deum non retribuere præmia meritis per justitiam formalem seu essentialem (ut sic dicam), sed per aliquam virtutem, quæ inter partes potentiales propriæ justitiæ numeranda sit. Fundamentum prioris partis est, quia in Deo non invenitur propria

et formalis justitia; alterius vero partis consequenter sumitur a sufficienti partium enumeratione, quia remunerare merita actus est justitiæ, ut dictum est, et auctores hujus sententiæ admittunt; et non est ab aliqua propria et essentiali justitia, ut in priori parte sumitur; ergo necessario esse debet ab aliqua parte potentiali justitiæ, quia in tota latitudine, seu in collectione virtutum ad justitiam pertinentium, nullus alius modus particularis justitiæ invenitur.

8. *Expenditur quæ sit illa potentialis justitia.* — *Quomodo exponat Vasquez dictam resolutionem de gratitudine.* — Prior pars hujus sententiæ commodius a nobis tractabitur, examinando prius posteriorem partem, et nostram sententiam confirmando. Et ideo, circa illam partem secundam, inquirendum superest quæ sit illa virtus et pars potentialis justitiæ, per quam Deus præmia meritis retribuit. Nam moderni hujus sententiæ defensores dicunt esse virtutem gratitudinis. Ita Vasquez, et frequenter repetit in tota hac materia de Merito, disput. 213, disput. 214 et 223, per totum illarum discursum, et disput. 218, cap. 4, et in 1 part., disput. 83, 84 et 91, præsertim cap. 15. Et in hac parte, præter consuetudinem suam, illum sequitur Lorca, disputat. 44 de Grat. Ut autem eorum sententia et in ea varietas vel concordia intelligatur, advertendum est meritum hominis apud Deum, aliquando inveniri posse nulla præcedente promissione ex parte Dei, aliquando vero antecedente promissione. Hoc posterius certissimum est, nam de facto tale est justorum meritum condignum apud Deum, ut Concilium Tridentinum docet, et supra cap. 4 probavimus. Primum vero inde probatur, quia promissio est libera Deo, unde posset illam non facere, et nihilominus dare hominibus gratiam et auxilia ad bene operandum, et consequenter ad merendum, quia dignitas et proprietas meriti ex natura rei sequitur bonitatem operis ut ad alterum relatam, sicut dixit D. Thomas 1. 2, quæst. 21, artic. 3. Unde, cum talia opera in Dei gloriam cederent, ad eum pertineret illa remunerare, quod pro sua libertate, et bonitate sine prævia promissione facere posset. Ait ergo Vasquez ad rationem meriti, etiam de condigno, promissionem Dei extrinsecam et accidentariam esse; ideoque sine tali promissione esse posse in Deo affectum, et voluntatem reddendi condignum præmium talibus meritis, et de hoc affectu ait per se ad gratitudinem per-



tinere. Unde addit, quando Deus adjungit promissionem, non insurgere obligationem justitiæ, sed solius fidelitatis, ac proinde rationem gratitudinis non tolli, nec variari propter adjunctam obligationem promissionis, sed tunc illud deberi duplici titulo gratitudinis et fidelitatis, semper tamen præmium, ut præmium, per se deberi titulo gratitudinis, ex fidelitate vero deberi ut rem quamdam promissam, cui accidentarium est quod simul ut præmium debeatur.

9. *Ex sua expositione colligit Vasquez primo. — Colligit secundo.* — Atque hinc primo colligit Vasquez, disput. 214, cap. 4 et 5, quod, licet Deus non promississet vitam æternam justis bene operantibus, nihilominus possent illi de condigno mereri apud Deum, quia promissio non facit condignitatem in merito, sed supponit illam, nam promissio illa est de remuneratione, et non tantum de liberali donatione; nihilominus tamen non oportet, ut ait, quod Deus teneretur ex justitia illis præmium reddere, nam satis est quod ex gratitudine deberet præmium condignum seu æquale secundum proportionem. Secundo, infert in disp. 218, c. 3, n. 33, § *Tertia ratio*, et 1 p., disp. 91, c. 13, quamvis duplex sit meritum hominis apud Deum, scilicet de condigno et de congruo, nihilominus utriusque respondere præmium ex sola gratitudine, et non ex justitia, et utriusque posse etiam esse adjunctam promissionem, ac subinde obligationem fidelitatis; ac proinde in hoc non differre, sed in hoc solum quod meritum condignum dicitur respectu præmii æqualis secundum connaturalem proportionem; meritum autem de congruo dicitur respectu præmii inæqualis, seu excedentis dignitatem operis, licet cum illo aliquam congruentiam vel convenientiam habeat. Utrumque autem potest ad gratitudinem spectare, quia hæc virtus non solum æquale, sed etiam abundantius retribuit. Idemque est de fidelitate, quia potest Deus æqualem vel abundantioiorem remunerationem promittere.

10. *Quomodo exponat Lorca.* — At vero Lorca, licet in hoc consentiat, quod Deus ex sola gratitudine reddit præmia meritis, non tamen negat aliquem modum justitiæ legalis, seu legali similem, ut inquit, quod nunc admittimus, et infra explicabimus. Deinde non negat fundari hoc meritum de condigno apud Deum in pacto et in promissione Dei. Ratio quam indicat est quia, licet ex promissione Dei non oriatur obligatio justitiæ, sed certi-

tudo præmii conferendi, nihilominus propter gratitudinis debitum potest esse necessaria, et consequenter etiam requiritur, ut opera veram et completam rationem meriti habeant, eisque merces debeatur. Nam si promissio (inquit) vel pura et absoluta, vel sub conditione inæqualis operis fiat, non ex operibus, sed ex fidelitate oriretur obligatio reddendi promissum, et ita non sufficeret ad verum meritum; quando vero promissio fit exigendo opera æqualia, tunc non ex sola fidelitate, sed etiam ex gratitudine tenetur Deus implere promissum, et ideo facta tali promissione, completur vera ratio meriti, quæ sine illa non subsisteret. Unde videtur supponere hic auctor quod, licet Deus sit capax debiti gratitudinis, nihilominus illud non insurgit, nisi supposita promissione exigente opus æquale. Cur autem illa promissione facta oriatur hoc debitum, et sine illa non oriatur, nec probat nec declarat.

11. *Expugnatur Lorca in eo quod differt a Vasquez.* — Inter hos autem dicendi modos hoc invenio discrimen, quod, licet prior in aliquibus rebus liberius loquatur, magis tamen consequenter loquitur; posterior, videtur, dum studet adhærere aliquibus sententiis communioribus et magis fundatis, minus profecto consequenter in reliquis loquitur. Quod breviter declaro, ut melius id in quo conveniunt examinemus. Si ergo supponamus in Deo esse posse propriam gratitudinis obligationem, remunerationem et affectum, frustra profecto dicitur hanc pendere ex promissione, aut in illa fundari, multoque magis consequenter dicitur sine illa esse posse, et ex vi operis juxta suam proportionem oriri. Probat, quia veritas et gratitudo non solum sunt diversæ virtutes, sed etiam quasi disparatæ, quia una in altera non fundatur; at vero obligatio promissionis ad veritatem seu fidelitatem pertinet; ergo promissio, per se loquendo, impertinens est ad gratitudinem. Secundo, obligatio gratitudinis oritur ex vi beneficii accepti; ergo, si beneficium est æquale, parum ad gratitudinem refert quod promissio præcesserit, necne. Imo, quando præcedit promissio sub conditione æqualis operis, minor obligatio gratitudinis oriri videtur, quia minus liberaliter videtur fieri beneficium, cum tamen quo liberalius fit, eo major obligatio grati animi oriatur. Tertio, quia propter has rationes, inter homines, ad meritum ex gratitudine, necessarium non est ut promissio præcedat; et consequenter nec ad obligatio-

nem similem ex parte remunerantis, ut idem auctor late dixerat, disput. 43, memb. 2; ergo supponendo in Deo capacitatem gratitudinis et obligationis ejus, nulla potest assignari specialis ratio, ob quam ad hujusmodi obligationem prævia promissio sub conditione operis æqualis necessaria sit. Respondent ideo necessariam esse promissionem in Deo, quia creatura non potest Deum sua actione obligare, nisi ejus promissio præcedat. At vero hæc ratio, si probat absque promissione non esse in Deo obligationem gratitudinis, consequenter probat etiam post promissionem non esse; nam promissio, ut talis est, non inducit obligationem gratitudinis, si illam non supponit, ut probat ratio facta, quod tota ratio gratitudinis est beneficium acceptum, non promissio accipientis beneficium. Unde etiam inter homines promissio gratitudinis obligationem gratitudinis supponit, non facit, sed ei obligationem fidelitatis, veritatis, aut justitiæ adjungit.

12. *Assertio tertia contra utriusque auctoris communem resolutionem de gratitudine.* — *Suadet primo auctoritate negativa Theologorum et Scripturæ.* — *Suadet secundo ratione.* — Jam vero contra id, in quo dicti auctores conveniunt, scilicet, Deum retribuere præmia ex gratitudine, dicendum censeo virtutem gratitudinis proprie ac formaliter in Deo non reperiri, ac proinde neque obligationem ejus Deo competere, neque remunerationem meritorum a tali Dei attributo formaliter procedere. Hoc imprimis probatur auctoritate negativa, quia neque in antiquis Theologis invenio tale attributum gratitudinis formaliter attributum Deo, cum tamen de veritate, fidelitate, justitia, misericordia, liberalitate, munificentia, seu magnificentia, beneficentia, dilectione, et similibus frequenter loquantur; tum etiam quia neque in Scripturis me legisse memini Deum esse gratum hominibus, etiam pie viventibus, aut fore ingratum si bene viventibus non beneficiat, vel quid simile. At profecto si gratitudinis affectus, opus, vel obligatio posset in Deum cadere, aliquod profecto ejus rei vestigium in his libris, per quos Dei notitia ad nos pervenit, inveniretur. Unde Scriptura non ad beneficiendum Deo, sed ad illi *serviendum* nos ubique admonet, Deuter. 6, 7, et infinitis aliis locis, ex quibus ratio propria elicitur. Nam virtus gratitudinis in proprio conceptu formali imperfectionem supponit in personâ illius capaci; ergo non

potest Deo convenire. Consequentia nota est. Antecedens autem probare possumus primo, ex objecto tam formali quam materiali gratitudinis, ejus enim officium est beneficium acceptum recompensare, ut ait D. Thomas 2. 2, quæstione 106, articulo 1, in corp., et ad 3. Unde respicit alterum ut benefactorem, ut ex Cicerone et Seneca late docet D. Thomas 2. 2, quæstione 80, et quæstione 106, art. 1, et sequentibus. At Deus non potest respicere hominem ut benefactorem sui, neque homo gloriari potest quod beneficium aliquod Deo contulerit, ut videtur per se notum, et significatur in illo Psalmi: *Ego dixi: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Secundo, in Deo non potest esse religio, pietas, aut observantia; ergo neque gratitudo. Antecedens supponitur ut notum; consequentia probatur, quia virtus gratitudinis non solum participat imperfectionem illarum trium virtutum, sed etiam inferiori modo illam continet. Imperfectio enim quam illæ virtutes supponunt, et propter quam Deo formaliter et proprie convenire non possunt, est quod respiciunt alium ut superiorem et excellentem, quod Deo plane repugnat. At gratitudo simili modo respicit benefactorem ut superiorem et excellentem, nam, ut D. Thomas ait, dicta quæst. 106, art. 2: *Benefactor, in quantum hujusmodi, est causa beneficiati*, et ideo beneficiatus ad benefactorem convertitur, ut ad principium suum aliquo modo, ut ibidem ait D. Thomas, et ideo dixit in art. 1, post religionem, quæ respicit summum debitum Deo, et pietatem, quæ respicit debitum paternum, quod est maximum quod a creatura esse potest, et observantiam, quæ respicit excellentiam personæ creatæ, constitui gratitudinem, quæ respicit peculiarem benefactorem: *Et ideo (ait) distinguitur a prædictis virtutibus, sicut posterius distinguitur a priori, tanquam ab eo deficiens.* Qui ergo fieri potest ut talis virtus secundum propriam rationem formalem Deo tribuatur?

13. *Tertio.* — Unde sic possumus ad rem, de qua agimus, argumentari tertio. Nam meritum hominis apud Deum non est beneficium quod homo Deo faciat, sed ad summum est obsequium et servitium illi debitum; ergo remuneratio meriti hominis apud Deum non potest esse ex gratitudine. Consequentia patet ex dictis, quia ubi deficit materia virtutis, versari non potest virtus. Antecedens autem videtur certe per se no-